uniuersam eius familiam proposuerat enecare.
Captum proinde a potestate terre grauissimis
uinculis aggrauatum in turri quadam reclusus
est. Ipse uero fiduciam habens in domino pro sua innocen
cia quam sciebat, causam commisit beati Francisci
patrocinio defendendam. Excogitante igitur po
testate qualiter criminis obiecti confessionem
eliceret per tormenta, qualibusque penis confessum
faceret interire, nocte illa qua mane ad cru
ciatus deberet adduci, sancti Francisci presentia
extitit uisitatus et inmenso luminis fulgore usque
mane circumdatus, repletusque gaudio et fidu
cia multa securitatem euasionis accepit.
Aduenerunt mane tortores et eductum de car
cere eculeo suspenderunt aggrauantes super eum
multa pondera ferri. Depositus est pluries
et iterum eleuatus ut pena pene succedente citius
ad confessionem criminis arceret. Sed spiritu in
nocentie letabatur in uultu nullam mesti
ciam pretendens in penis. Deinde accensus est ig
nis sub ipso non modicus nec ipse tamen capillus est
lesus cum tamen capite penderet ad terram.